

## ANNEXES.

### I.

*Lietard, évêque de Cambrai, concède à l'abbaye de Saint-Ghislain, les autels de Ghoy, de Rebaix et de Ronquières.*

1134.

In nomine sancte et individue Trinitatis, patris et filii et spiritus sancti, amen. LIETARDUS, Dei gratia, Cameracensis episcopus, tam presentibus quam futuris in perpetuum. Cellense cenobium quod est constructum in honore apostolorum Petri et Pauli per beatum Gislenum, sicut legitur, ubi etiam ipse beatus confessor corpore requiescit honorare disponimus. Cum antecessores nostri episcopi ita fecerunt et pro remissione peccatorum suorum donationibus suis dicaverunt unde ut redemptorem nostrum in Galilea videre mereamur eidem monasterio tria concedimus altaria videlicet de Goy, de Resbaco, de Ronceriis ad usus fratrum ibidem Deo serviencium a personatu et omni exactione libera, preter debita episcopi et ministrorum nostrorum obsonia. Ut ergo hec nostra concessio firmiter stabilita in eternum perduret huic scedule annotari fecimus et sigilli nostri impressione corroborari. Quicumque itaque hanc cartam agnoscens contra eam venire temptaverit pontificali auctoritate gladio excommunicacionis percussus intereat nisi continuo satisfecerit canonico denique modo incedentes iussimus etiam testes idoneos subnotari. Signum JOHANNIS, archidiaconi, signum ERLEBOLDI, prepositi et archidiaconi, S. THEODERICI, archidiaconi, S. alterius THEODERICI, archidiaconi, S. GERARDI, archidiaconi et decani, S. ROBERTI, cantoris, S. ERMINARDI, GUALTERI GUERIMBOLDI, cappellanorum. Actum anno incarnati Verbi m. c. xxxiiij, indictione xij<sup>a</sup>, epacta xxij, concurrente vij, Cameracensi presule Lietardo anno tercio, regnante Lothario imperatore augusto anno octavo.

## II.

*Le pape Innocent II ratifie la donation des autels de Ghoy, de Rebaix et de Ronquières faites à l'abbaye de Saint-Ghislain par l'évêque de Cambrai Liétard, et celle des autels de Blaton et de Harchies faite par l'évêque Nicolas.*

4 avril 1139 (1138 v. st.)

INNOCENTIUS, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Oduyno, abbati Cellensis monasterii, quod in honore apostolorum Petri et Pauli in Haioniensi pago situm est, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum quemadmodum ea que a nobis statuuntur firma volumus et illabata consistere, ita nihilominus que a fratribus nostris racionabiliter fuerunt statuta auctoritate apostolica nos convenit roborare; ea propter dilecte in Domino filii Oduyne abbas tuis racionabilibus postulationibus clementer imperpetuum assensum et tria altaria videlicet de Goy, de Resbaco et de Roncerusa, Lietardo quondam Cameracensi episcopo Cellensi cenobio ad usus fratrum inibi Domino famulatum racionabiliter canonicèque concessa duoque altaria id est de Harcheias et de Blaton a Nicolao successore eius eidem ecclesie autentica donacione tradita, tibi tuisque successoribus presentis scripti pagina confirmamus, et exceptis hiis que Cameracensis episcopis et ministris eorundem inde debentur ab omni personatu et exactione libera manere decernimus. Nulli ergo hominum omnino fas sit vestrum monasterium de cetero super eisdem altaribus molestare aut et aliqua iminucionem vel contrarietatem inferre. Si quis autem hoc ausu temerario attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, incurrit. Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus s. s. Data Lateranis, ij nonas aprilis, indictione prima, anno dominice Incarnationis m. c. xxxviii, pontificatus domini Innocentii pape secundi anno decimo.

(Cartulaire de l'abbaye de Saint-Ghislain  
vo Goy, Archives de l'État à Mons.)